



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 4. Cur Deus quosdam pauperes non statim iuuet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



pauperes Evangelizantur, ait Seruator; ne  
 superba opulentia putet, Redemptorē tan-  
 tūm diuitum ac magnatum causā venisse.  
 Tertiò; res ipsa mouet misericordem patrē.  
 Si enim vel terrenus pater è duobus filijs  
 vnum in bene instructa naui ludentē videat,  
 alterū inter vndas ac vortices luctantē, cui  
 citiùs succurret? Ita Deus vtiq; citiùs opem  
 afferet ope indigenti, cuius ipsa miseria  
 mouet misericordem. Si enim Iob aiebat:  
*Flebam quondam super eo, qui afflictus erat, &*  
*compatiebatur anima mea pauperi; quanto*  
 magis putandum est, flecti & affici eum mi-  
 sericordia, qui afflictionem atque inopiam  
 longè habet cognitiorem? & cuius miseri-  
 cordia est, *super omnia opera eius, quæ tamen*  
 sunt magna, & mirabilia nimis? Quocirca  
 eam olim legem tulit: *Si vnus de fratribus*  
*tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ,*  
*in terra, quam Dominus Deus tuus daturus*  
*est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis*  
*cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies*  
*eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indi-*  
*gere perspexeris.*

Iob. 30.

25.

Deuter.

15. 7.

## §. IV.

*Cur DEVS quosdam pauperes non statim  
 iunget?*

Quartò



Quartò etsi subinde differt Deus quòdam, vt incommoda sentiant paupertatis, & quasi eorum obliuisci videtur, tamen *in finem est obliuio pauperis*. Hac spe consolantur filium suum Tobias ait: *Noli timere, fili mi, ait, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene*. Vt prædixit, ita euenit, vel Raphael Archangelo cælitus misso, qui eum ad fortunas suas perduceret. Quin Christus quoque turbam triduo toto distulit, donec eam prodigiòse pasceret. *Cùm turba multa esset, nec haberent, quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt*. Distulit, vt fames & fama cresceret, miraculumque tantò maius esset, quantò illi magis esurirent. Quintò voluit eosdem ita curare atque satiari Dominus, vt etiam patientiam eorum probaret. Ob quam causam multos diu, plurimos etiam vsque ad vitæ finem relinquit in egestate. Tunc enim dicit: *Ecce excoxite, sed non quasi argentum, elegi te in camino pauperatis*.



pertatis. Si enim excoxissem te, quasi ar-  
 gentarius in fornace ardentissima excoquit  
 argentum, separatque ab eo, per ignem,  
 stannum, plumbum, scoriam, ut purum  
 putumque remaneat, & impermixtum, utique  
 consumpsissem te, cum non sis, nisi pecca-  
 torum scoria, iuxta illud: *argentum tuum* Isa. 1. 22.  
*versum est in scoriam*; itaque leniori te ca-  
 mino purgavi, seruitute scilicet & ærumnis  
 Babylonis. Multi enim non sunt tam for-  
 tes, ut possint martyria sustinere; neque  
 tam patientes, ut possint graues diutur-  
 nosque tolerare morbos; quare mores eo-  
 rum in camino paupertatis corriguntur.  
 Quod dum facit Deus, nonne pauperes  
 quasi negligendo curat? quia curat eos ipsa  
 paupertate, sicut medicus ægrotum diæta.  
 Alios, qui non ægrotant, in hoc camino  
 paupertatis, tamquam aurum in fornace,  
 reddit splendidiore, ut Iobo contigit, qui  
 omnibus amissis longè clariùs enituit, at-  
 que etiam in hac vita *addidit Dominus om-*  
*nia, quacumque fuerant Iob, duplicia.* Iob. 42.  
*Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patien-*  
*tia pauperum non peribit in finem.* Psal. 9. 19.